



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod ex Lutheri secta plures aliæ multô peiores exsurrexerint, & vtrum
constitutiones Ecclesiæ cum scriptura conueniant. Cap. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Sanctis Do-
ctoribus cur
fidem adhi-
beamus.

etiam est bonum, vt in eo prauū manere nequeant, imò ex eo aut reijciantur aut profugiant, quemadmodum ex bona aqua mortuus piscis. *MILES*. Cōfidere videris insignibus illis Doctoribus Augustino & Hieronymo. Nonne & hi homines fuerunt, qui falli aut fallere poterint? Quid ergo tantum ijs vis confidere? *MON*. Non vsque adeò ijs confido prout homines fuerunt, sed ob gratiam Dei, quæ ipsos irradiauit, per ipsos locuta est, & in ipsis est operata. Quod quidem in eorum integra vita & miraculis (quæ Dei virtute fecerunt) patet. *MIL*. Cur igitur errauerunt? *MONA*. Non ita delirauerunt sicut Lutherus, qui in suo deprauatus est sensu, & se in verbis suis instar anguis lubricum exhibet. Non vult quoque ab vllō homine, vel superiori potestate instrui.

Lutherus vt
suum fen-
sum omniū
iudicio præ-
tulit.

Licet autem sanctorum aliquis errauerit, non grandis error exiit. Quoniam non mordicus retinent aut defendunt proprium errorem, cōtra communem Ecclesiæ doctrinam, aut contra Conciliorum sicut Lutherus facit definitionem, & subiiciunt se ad suscipiendam informationem parati, superiorum iudicio stare & acquiescere. Lutherus autem neque Concilij, neque vllis superioribus, neque Doctoribus auscultat. In vniuersum omnes reijcit, imò, vbi Ecclesia etiam, quid in scripturis credendum sit, retinendum, aut intelligendum constituit, spudiat, & sui insani capitis sensum cunctis antepōnit, tanquam cæteri omnes de scripturis sanctis nil intellexerint, & Spiritus sanctus (qui planè illum ignorat) ipsum solum lecto cum moniali sua stertentem illuminauerit. Atque adeò quicquid ipse dicit, id verbum Dei appellat. Vbi igitur tamdiu spiritus remansisset, & Ecclesiam non illuminasset, imò seduxisset, donec cucullio iste tandem prodiret.

Quod ex Lutheri secta plures alie multo peiores exsurrexerint, & vtram constitutiones Ecclesia cum scriptura conueniant.

Caput XVII.

Miles.

Lutherus vt
multarum
fit autor hæ-
reticū.

Plures etiamnum sectæ oriuntur. *MONACHVS*. Ita sanè, quemadmodum ex vna vipera, multæ subnascuntur, quæ suo morfu in partu matrem suam interimunt, ex Lutheri quoque secta plures alie multo peiores ortæ sunt, hoc dempto, quod Lutherus semen & primam radicem iecit. Omnes sibi videntur (quisque aduersus cæteros) secum scripturam habere. Sic Lutherana factio in varios modos & sectas diuisa est. Quilibet, qui sibi ipsi vult nomen parare, noui aliquid ementitur: & quærit, si in scripturis reperire aliquid possit, quod speciem quandam habeat, quo suam sententiam & opinionem confirmare possit. Quod ergo tum illi superstruit & commiscitur, omne id apud ipsos est verbum Dei, cui nemo resistere debeat. Isto pacto simplices miserosq; homines decipiunt, & fermè noui aliquid quotiæ pullulascit, quod semper prioribus deterius est. Sic eo nunc ventum est, vt quidam asserant necesse esse, vt quisque rebaptizetur, nonnulli dicant, Christum non fuisse Deum, & in peccato originali natum esse, & suam matrem non fuisse virginem, & ipsum non fuisse Messiam. His rationibus fides nostra

Varia hære-
sum porten-
ta.

nostra pessum eat necesse est, quia si ab vno, deficiamus, aliud quoque relin-
quimus, id est in dies magis ac magis, vsque dum Antichristus veniat, & omnia
apta pacataq; inueniat, quo ad se mandum pertrahat. *MILES*. Mihi quoque
perfecto sic videtur. Inuenientur enim centum & eo amplius, qui Antichri-
sto accederent, cum ante duodecim, vel tredecim annos, ne vnus quidem in-
uentus fuisset. Et quid hinc demum fiet? *MON*. Fenestellam latius aperi, vt
plus luminis accipias. *MIL*. Qui fit, quod in huiusmodi, qui tamen docti
sunt, falsam persuasionem veniunt? *MONACHVS*. Hoc accidit ex super-
bia propriorum spiritus, quo sese extollunt, & se in eo, quod capere non
possunt, definitionibus & declarationibus Sanctorum Patrum submittere
nolunt, quas communiter Ecclesia acceptauit quasi pro instructione, & expli-
catione quadam (sibi difficile aliquid, aut ambiguum in sensu scripturarum
occurrit) vt certo concorditerq; sciantur teneanturq; in Ecclesia Catholica
iuxta sancti Spiritus illustrationem, qui in huiusmodi necessarijs cau-
sis fidem, vel bonos mores concernentibus, Ecclesiam, quæ ad nos vsque de-
uenit, nunquam deseruit nec vnquam etiam deserturus est. Præterea sunt ad-
huc alij carnales, quibus via, spiritus nimis angusta, & leue iugum Christi ni-
mis graue est. Propterea constitutiones omnes, & leges Ecclesiæ, & superio-
ris potestatis, lacerant prætextu quodam, tanquam honorare scripturam ve-
lint, citra quam alium vllum, audire, vel alicui obstricti esse nolint. In quo
tamen animaduertere non volunt, quod isto pacto quoque scripturæ non
auscultent. Quæ scriptura, imò Christus in scriptura subiectionem præcipit,
nosq; imperio Ecclesiæ & superiorum sub pœna sæc grætiæ, salutis animæ, &
Christianæ communionis amittendæ subijcit. Iam tamen certum est consti-
tutiones sanctæ Ecclesiæ contra scripturas non esse. Hoc fateri omnes hæreti-
cos oportet, & contra hoc ne vnum quidem ex veritate verbum dicere
possunt. Hoc autem de constitutionibus Ecclesiæ & procerum dixe-
rim, non de abusibus personarum, qui etiam contra voluntatem Eccle-
siæ & procerum, fiunt. Autoritas sanctæ Ecclesiæ & scripturæ sacræ bene
inter se conueniunt & concordant, vna confirmat & probat alteram. Sacra
scriptura iudicio nos S. Ecclesiæ submittit, & Ecclesia scripturæ. Quomodo
autem Ecclesia aliquid contra scripturam constitueret, aut quomodo non
decernendi potestatem vllam haberet, præter quam quod in verbis scriptu-
ræ non est expressum? cum scire quid scriptura esset, nequeamus, aut cuiam
credere scripturæ deberemus, & cui non in Ecclesia id nobis demonstra-
ret. Multiplex est quidem scriptura, verum quæ sit sancta probataq; scriptu-
ra, cui contradici non debeat, nobis sola Ecclesia ostendit & tradit. Quapro-
pter Augustinus ait. Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholi-
cæ commoneret autoritas, hoc est, nescirem, quodnam verum Euangelium
esset, vt inter Euangelia multa, quæ scripta sunt, vtpote Bartholomæi &
Nicodemi & sub alijs nominibus, non errarem, nisi mihi Ecclesia syncerum
ostenderet & diceret, huic credere debes. Cum igitur Ecclesia scripturam
nobis exhibeat & demonstrat, eandemq; interpretetur, id est, eam nos in ve-
rè Christiano sensu intelligere doceat, mirum non est, quod hæretici nostri
cæcati, in suo peruicaces errore maneat: qui constitutiones omnes & instru-
ctioes

Cur docti
in hæreses
labantur.

Christus vt
nos vel: su-
perioribus
obtempera-
re.

S. Ecclesia &
scriptura sa-
cra vt inter
se consen-
tiant.

August.

ctiones S. Ecclesie aspernantur, ab ea recidunt, & se in cecitate superbi spiritus, & insani sui intellectus extollunt aduersus diuinum, quo in suis Ecclesia illustrata est membris, quæ scripturam nobis explanauerunt, & à Deo ad alia membra sua docenda & regenda sunt constituta.

Optima institutio ad bonam Christianamq; degendam vitam, coniugali & omnibus statibus vitæ.

Caput XVIII.

Miles.

Arbitrabar bene me illuminatum esse, & pacem in mea me habere conscientia putabam, quando timorem omnem & scrupulos peccatorum abieceram, & licere mihi quidlibet facere vel omittere existimabam, atq; apud memetipsum dicebam. Cum in Christum credo, saluus ero: sed iam (sic gratia Deo) me in cecitatem quandam peruenisse animaduerto. Namq; ut modo perspicio, non ob hoc solum mandata Christus dedit, ut duntaxat ita Christum dixisse credamus, sed idem etiam nos facere quod Christus nobis tradidit, vel præcepit, oportet. *MONAC.* Rectum attingisti iter, in illo perisiste. Interim quæso dicas mihi, etiamne Lutheri libros habes? *MI.* Nimirum plusquam duos corbes plenos. *MO.* Illos oro vulcano tradas, ne ex ijs aliquis capiat offendiculum. Fecerunt hoc idem nonnulli recenter ad fidem conuersi tempore Apostolorum, qui perniciosos contulerunt libros & combusserunt eos coram omnibus. Sufficiat tibi quod tu seductus fueris. *MIL.* Hac ipsa adhuc die id faciam. Obsecro mi pater, ignosce mihi quod tam tibi molestus multis meis ineptis sermonibus & incompositis verbis fuerim. Non adeo sum peruersus, ut mea verba præ se ferunt. Multa sum locutus, ut comperti aliquid haberem de statu religioso, qui mihi charus semper fuit & venerabilis, tamen si (heu) dignus ad illum amplectendum ipse non fuerim. Nimirum mundo educatus fueram, & breui illo tempore quo periculum in monasterio faciebam (sicut & ante tibi dixi) multos reuera bonos ibi patres esse animaduerti, qui magnam nauabant operam, studebantq; ad timorem Dei me prouocare, & assidue me cohortabantur ut Deum ob oculos haberem, ut ne propter totum mundum Deum offenderem ut nihil nisi Deum vel propter Deum amarem, ut cuncta desideria mea, omnes cogitationes meas eo dirigerem, ut Deo acceptus fierem. At hæc adhortabantur & exercitabant me ad omne genus virtutis. Sed eheu me miserum, quicquid huiusmodi boni mihi dicebant, vel ipsi faciebant, nihil me mouebat. Non inerat mihi vera pietas & deuotio, atque ea re manere non potui. Hac est causa, quod monachis adhuc ex animo faueam, sicubi bona monasteria aut monachos (qualis qualis mea sit vita) conspicio. Idcirco tam multa hinc scire volui & si filium haberem, qui monasterium ex cordis sui desiderio ingredi vellet, essem illi ad id adnuculo. *MONAC.* Equidem gratulor tibi mi Georgi, & tam diutini, quod tecum habui, non me tædet colloqui. Interim nihilominus te confortor & rogo, ut vitæ tuæ emendationem mediteris. *MILES.* Ad id paratus sum & voluntarius, sed tam multa emendare habeo, ut exhorrescam, & vbi incipere debeam ignorem. Propterea bonum desidero consilium, quo pacto exordiri debeam. *MONAC.* Ante omnia teipsum diligenter examinabis, & pec-

Libri hæreticorum cui sunt exarati. Act. 19.

Ut in cœnobijs instituantur monachi ad pietatem.